

part. 1. tract. 6. c. 16. n. 153. Pirhing loc. cit. n. 397. Reiffenstuel. l. c. n. 346. alias enim quilibet Elector posset ex propria malitia omnes electiones irritare, expresse aliis ostendendo votum suum, ut electio non subsisteret.

(33. Desineret tamen esse secreta, et sic non subsisteret electio etiamsi unus solum votum suum publicaret permittente Capitulo, quia sic per totum Capitulum contraveniretur dispositioni Concilii præcipientis sub decreto irritante, quod electiones fiant per vota secreta, et nomina eligentium numquam publicentur; Barbosa lib. 1. *Juris Eccl. univ.* cap. 19. n. 205. Garcias part. 5. *de Benefic.* c. 4. n. 183. et 184. Reiffenstuel l. c. n. 345. Sigismund. a Bononia *de Elect.* dub. 13. n. 4. et alii cum Rota in una Trevirensi Abbatia S. Maximini 20 Novembris 1624, coram Cocciuo Decano. (34. Sic desineret esse secreta, et nulla esset electio, si eligentes uterentur schedula aliquo patenti signo signata, ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, quod tales eligentes elegerunt illum nominatum in schedula; ac proinde sic electus factus de hoc certus teneatur resignare Prælatum, sive officium, vel petere a Sanctissimo confirmationem cum dispensatione. Sic decisum fuisse a Sac. Congregatione Concil. referunt Peyrin. tom. 1. *de Religios. subd. et Prælator.* q. 1. *de Obedient.* c. 21. Castellin. tract. *de Elect.* cap. 3. n. 6. Barbosa in *summa Apostolic. dec.* verb. *Electio, Elector.* n. 19. et in Trident. l. c. n. 9. (35. Item desineret esse secreta, et nulla esset electio, si Præses vel alter de Capitulo alicui vel aliquibus ex Vocalibus traderet schedulas, in quibus notetur nomen illius, qui eligitur ex non servata forma præscripta sub decreto irritante a Tridentino in d. sess. 25. c. 6. *de Regularibus*, prout in simili casu censuit Sacra Congreg. Concil. ut refert Fagnan. l. c. n. 23. Matthæucc. l. c. n. 9. (36. Sic a fortiori desineret esse secreta, et nulla esset electio, si aliquis Pater prædominans traderet alicui Vocali schedulam cum nomine eligendi, ostendendam omnibus aliis Vocalibus a suo prædominio dependentibus, ut ex ipsa copiam faciant, et sic rescriptam in Urnam Electionis reponant; Electoribus enim nullo modo licet ante vel post scrutinium cui suum votum dederint, publicare. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Concil. referunt Garcias loc. c. p. 5. c. 4. n. 197. Barbosa in *Summa Apostolic. dec.* verb. *Electio, Elector.* n. 10. et alii; et clare patet ex ipso Tridentino l. c. ubi expresse præcipit sub decreto irritante Prælatos Regulares « eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. »

(37. Ad Electionem etiam Regularium, ut sit Canonica, debent vocari omnes, qui de jure, vel de legitima consuetudine jus habent suffragandi; cap. *Cum inter universos* 18. cap. *Coram dilecto* 35. et cap. *Quia propter* 42. *de Election. cum similibus*, et docent Doctores communiter. Unde etiam vota in-

firmorum, qui decumbunt in Conventu electionis, et ob eorum infirmitatem nequeunt electioni interesse, debent exquiri; Innocent. in cap. *Quia propter* 42. *de Election.* n. 2. Silvester verb. *Electio* num. 17. Barbosa lib. 1. *Juris Eccl. univ.* cap. 19. num. 108. Pirhing loc. cit. num. 146. Reiff. loc. cit. n. 191. Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 17. num. 15. et alii, et ratio est, quia vota omnium præsentium sunt inquirenda. Infirmi autem, qui decumbunt in eodem Conventu electionis, censentur præsentibus; argum. a fortiori l. 5. et 6. ff. *de Procuratoribus*, ubi sic dicitur: « Præsens habetur, et qui in hortis est, et qui in foro; et qui in Urbe, et qui in continentibus ædificiis. » Unde in tali casu debent scrutatores, seu disquisitores ad eos ire, et ab illis schedulas in vas ad id præparatum accipere. Donatus loc. citat. num. 15. testatur sic practicari in sua Illustrissima Religione Ordinis Prædicatorum, et de facto sic practicatur in nostra Religione Minorum, et aliis; et si Infirmi nequeant scribere, debent schedulas pro ipsis scribere duo disquisitores, et eas deferre, et patenter ponere in vase reliquarum schedularum; Lantusea verb. *Electio* num. 8. et alii. (38. Et ad talem electionem vocandi sunt etiam Religiosi sacris non initiati in illis Religionibus, quarum Constitutiones ipsis expresse concedunt, ut habeant votum in Capitulis; sic teste Pignatello tom. 10. consult. 86. num. 13. declaravit Sacra Congreg. Concil. 22 Maii 1577, his verbis: « Quoniam decretum Concilii non comprehendit Monasterium Regularium, sed Ecclesias Sæculares ibi: de quibus ibi est sermo. » In illis tamen Religionibus, quarum Constitutiones non concedunt ipsis tale votum, Religiosi in sacris nondum constituti non sunt vocandi ad electionem: Pignatell. tom. 1. consult. 224. ubi refert, quod Sacra Congregatio Concil. 1. Februarii. 1659. in una Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, censuit c. 4. sess. 22. « comprehendere etiam Regulares Mendicantes, qui non sunt in Ordine Subdiaconatus, vocem habere non posse in Capitulis, et actibus Capitularibus, si in Constitutionibus ejusdem Religionis aliter expresse non caveatur. »

(39. Regulares tenentur sub mortali eligere digniorem, sicuti teneri omnes alios Electores jam diximus supra art. 3. n. 13. Eo vel maxime, quod ipsi ante electionem tenentur præstare juramentum de eligendo talem digniorem ex citatis decretis supra sub numero 6. et tanto magis ad hoc tenentur Minores de observantia, qui adhuc specialiter obligantur ad præstandum tale juramentum coram Venerabili Christi Imagine, præsentem Præsidente ex Constitutione Innocentii XI, incip. *Militantis Ecclesia*, et ex Constitutione Benedicti XIII, incip. *Universalis Ecclesie regimini*, confirmata quoad hoc a Clemente XII Constitutione incip. *Circumspecta*, ex adductis supra sub n. 7. 8. et 9. (40. Hinc gravissime peccarent, et ad damnata tenerentur, et indignus electus teneretur

renunciare, si nedum non eligerent digniorem, id est qui comparatione aliorum majora merita, majorem sufficientiam, aptitudinemque ad regendum habere dignoscitur, sed potius eligerent indignum, id est quem sacri Canones, Constitutiones Pontificiæ, et statuta Ordinis inhabilem declarant, ut notat Sanctiorius in compendio, verb. *Electio* num. 15. (41. Statuta autem Ordinis condita in septuagesimo quinto Capitulo Generali celebrato Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ de Araceli die 23 Maii 1676, et specialiter confirmata ab Innocentio XI Constitutione incip. *Militantis Ecclesia*, quod ad hoc disponunt ut sequitur: « Item statuitur, quod nullus eligi possit in Prælatum, qui vitam communem non sequatur; hoc est qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione peditandi excusetur, habeat, qui camisiis, aut lineis utatur, vel apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat, qui jejunia Ecclesiæ, et Regulæ non observet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter sit defectuosus in assistendo Communitatibus Chori, et Refectorii, ac aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Electio autem illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit a Prælato Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii; cum consilio tantum, et assensu trium Patrum, qui Provinciales, vel ad minus Definitorum Provinciæ sint, vel fuerint, super quo eorum conscientias oneramus, ne, aut ille expellatur, qui vitam communem sequitur, aut ille confirmetur, qui illam non observat. »

(42. Et similiter fere litteraliter habetur statutum ab Innocentio XI, Constitut. incip. *Sollicitudo Pastoralis officii* § 8. ibi: « Quia vero efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sive Superiorum, ideo statuimus pariter neminem eligi posse in Prælatum, sive Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem observantia non sequatur; hoc est qui frequenter equitet, seu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui indusiis, seu camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto; qui calceatus incedat; qui jejunia Ecclesiæ, et Regulæ non observet; qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitatibus Chori, Refectorii, et aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Porro electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit a Prælato, sive Superiori Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia sine strepitu Judicii, cum consilio tamen, et assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales, vel saltem Definitorum Provinciæ sint, vel fuerint: ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur qui eam non observet, oneramus. »

(43. Et clarius, et strictius solvit dubium ortum super habilitate, vel inhabilitate ad posse eligi ad Prælaturas Minorum de Observantia Innocentius XII, Constitutione incip. *Alias a felicitis recordationis Innocentio Papa XI*, ubi post insertas ejusdem Pontificis Litteras, statim subjungit: « Cum autem sicut dilectus Filius Bonaventura Poerius Minister Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, nonnulli Visitatores ex utraque Familia ejusdem Ordinis, tam de Observantia, quam Reformati, dubium ei proposuerint: An eorum Religiosorum, qui vitam communem, in victu, vestitu, Chori frequentia, iter pedibus agendo, aliisque similibus a Regula præscriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitatis, sive alterius impotentia causa quæ eos, juxta Textum Regulæ, et Constitutionum dicti Ordinis excusat, adeoque a transgressionis culpa eximit, electio in Prælatos, sive Superiores in eodem Ordine valida sit; Eaque si alias Canonice facta reperiatur, et illi officiorum ad quæ fuerint electi cæteroquin sint capaces, ab ipsis Visitoribus confirmari possit, et debeat. Ipse vero Bonaventura Minister Generalis tametsi existimet Religiosos, qui propter infirmitatem aut aliam quamvis necessitatem, vitam communem, aliisque in præinsertis Innocentii Prædecessoris litteris præscripta exacte observare nequeunt, ab officiis, et gradibus Superioritatis excludi debere, sequæ, ac pro tempore existentem Ministrum Generalem Ordinis suprascripti, eos etiam alias canonice electos, juxta eandem litterarum formam excludere posse, illos autem qui culpabiliter dictam vitam communem non observant, et ex malitia delinquant, non solum ab officiis, et gradibus excludi, sed etiam pœnis contra transgressores statutis puniri debere: Nihilominus dubium præfatum declarari, ac alias desuper opportune a Nobis provideri plurimum desideret. Nos ejusdem Bonaventuræ Ministri Generalis votis hæc in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Bonaventuræ Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. Rom. Eccles. Cardinalium, et dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum super disciplina Regulari specialiter a Nobis deputatorum, qui rem mature discussissent, consilio, Religiosos omnes præfati Ordinis, qui vitam communem observantia in præinsertis Innocentii Prædecessoris litteris præscriptam vere, et cum effectu sequi non solent, etiamsi id ex infirmitate, seu alia quavis necessitate, et absque ipsorum culpa accidat, in Prælatos, seu Superiores ejusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi alias



canonica foret, a Prælo sive Superiore Generali dicti Ordinis, servata quoad hoc earum litterarum forma, irritandam esse. Illos vero, qui in prædictis observantiæ communibus exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modo ut supra ineligibiles esse, sed insuper pœnis Constitutionum ipsius Ordinis subjacere auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, et ordinamus, decernentes ipsas præsentis litteras semper firmas, etc.

« Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus, etc.

« Volumus autem, etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2 Jul. 1695, Pontificatus Nostri Anno quarto.

« J.-F. CARD. ALBANUS. »

(44. Ut electio sit valida requiritur, ut in ipsam concurrat saltem major pars Capituli, ita ut si sint 35 Vocales, requiritur, ut electus habeat ad minus vota 18. cap. Cumana 50. de Elect. et cap. Sicut 23. eodem in 6. Major enim pars numero præsumitur sanior, ut habetur expresse ex cap. Ecclesia vestra 57. de Electione, ibi: « Cum ubi major numerus est, zelus melior præsumatur, » cum similibus; et tenet communis Doctorum cum Fagnano in c. Cum in cunctis 1. n. 4. de his quæ fiunt a majori parte Capituli. Unde jam hodie non inquiritur amplius an major pars sit etiam sanior. Cum enim ex investigatione quænam esset major, et sanior pars, plura orirentur inconvenientia, jure merito hæc nostris temporibus, et maxime stante dispositione citati Canonis Ecclesia vestra, et Concilii Tridentini sess. 25. de Regularibus cap. 6. recessit ab aula dicta inquisitio quænam suffragiorum pars sit sanior, sed solum respicitur, et attenditur major, seu minor ipsorum Capitularium numerus; cum in hunc sensum major pars ipsius Capituli sanior præsumatur, si persona electa non sit indignior; Sic Rota in Nullius, seu Pampilonensi Canonice de Roncyvalles 12 Maii 1628. coram Dunozeo, Sigismund. a Bononia de Elect. dub. 38. n. 8. Lavorius Variarum Lucubrat. tom. 1. tit. 4. cap. 19. num. 89. Surd. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 13. Franc. Marc. Delphyn. dec. 782. n. 3. lib. 1. Tamburin. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 5. quæst. 6. n. 21. Barbosa de Canonicis cap. 38. n. 8. Reiffenstuel lib. 1. Decret. tit. 6. n. 150. et alii passim. Vide verb. Abbatissa a n. 43 ad 52. ubi multa ad rem, quæ hic non repetuntur ne jam scripta rescribantur. (45. Ubi autem vota essent paria, Præses Capituli nequit dare votum decisivum, cum nec Jus Canonicum, nec constitutio particularis, immo nec ullus Auctor quem viderim, illud ipsi concedat. Unde Vocalibus in paritate votorum persistentibus, transacto tempore ad electionem præfixo, devolvitur electio ad immediatum Superiorem, ut ultra jus commune, disponunt fere omnium Regularium Constitutiones loquendo de electionibus, a toto Capitulo faciendis. (46. Loquendo

tamen de electionibus, quæ fiunt a solo Diffinitorio, Præses in paritate votorum habet votum decisivum ex Constitutione Urbani VIII, incip. Religiosos viros, et ex Constitutione Alexand. VII. incip. Credita Nobis. (47. Deficiente autem Præside in paritate votorum, decisivum in electionibus, et negotiis in Diffinitorio peragendis concessit etiam Ministris Provincialibus Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium 13 Martii 1633. Dummodo tamen in ipsis electionibus, quæ per ballotationes fiunt, voto decisivo non utantur, nisi per tres vices fuerint æqualia, ut declaravit eadem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium 15 Martii 1663.

(48. Commissarii Provinciales, qui tempore Capituli Generalis relinquuntur ad gubernandas Provincias, eligendi sunt a Diffinitoriis Provincialibus per ballotationes; Statut. General. Vallisoletan. de anno 1670. t. pro Ultramontan. Famil. lum. 6. Ordin. Seraphic. tom. 4. et Statuta Generalia de anno 1700. (49. Sic etiam per ballotationes, et vota secreta debent fieri omnes, et singulæ electiones quæ fiunt in Diffinitoriis tam Proministrorum Provincialium, et Custodum, quam Guardianorum. Compilatio statutor. Sambuc. cap. 8. § 36. num. 7. et citat. Constitut. Urbani VIII. incipiens Religiosos viros, ibi: « Ut de cætero omnes, et singulæ Electiones tam Proministrorum, et Custodum, quam Guardianorum dicti Ordinis per suffragia secreta, et ballotationes fiant. » (50. Electiones autem quæ fiunt in Capitulis tum Generalibus, tum Provincialibus, debent fieri non per secretas ballotationes, sed per secreta schedularum suffragia ita obsignata, ut eligentium nomina sint secreta et occulta, et nunquam publicentur, ac peracto scrutinio schedulæ coram omnibus Vocalibus illico comburantur, ut expresse statuit Sixtus V, Constitut. incipiente Et communis cura.

(51. Electio ut sit Canonica debet esse omnino libera, ita ut aliter facta sit ipso Jure nulla; c. Cum terra 14. de Elect. cap. Ubi periculum 3. de Elect. in 6. § Cæterum, ibi: « Cessat Electio dum libertas admittitur eligendi. » (52. Unde nulla est Electio, sine auctoritate Apostolica limitata, et restricta ad aliquos, cæteris exclusis, ut habetur ex Sacra Cong. Concil. responso ad sequens dubium: « An stante libertate electionis liceat Prælo Regulari proponere duos, vel tres, ex quibus eligatur unus? » Sacra Congregatio censuit non licere. Sic ex 2. is refert Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 19. num. 7. et teste Fagn. in cap. Cum dilectus 8. de Consuetudin. num. 21. eadem Sacra Congregatio consulta a Generali Ordin. S. Augustini: « An liceat in Electione Provincialium, Priorum, aliorumque Officialium faciendâ aliquos nominatim proponere; ex quibus unus canonicè per secreta suffragia ad officium eligatur? » Respondit Negative Et quod Capitulum celebratum cum restrictiva Personarum eligendarum, et cum impressione sæcularis Potestatis sit nullum expresse declaravit Congreg. particularis in

Taurinen. Nullitatis Capitulis 2 Septembris 1708, de qua Ursaya tom. 1. par. 1. discept. 17. per. tot. Hinc in Ordine Minorum de Observantia Generalis, vel Præses Capituli coarctans Electores ne libere agant, privatur Officio, ex Constitutione Sancti Pii V, incipiente Pastoralis; et Constitut. Francisc. cap. 8. (53. Non est tamen contra libertatem electionis quod Electores coarctentur ad eligendum aliquod genus personarum v. g. Magistrorum, Lectorum, etc., vel talis Nationis, et hujusmodi. Patet hoc ex praxi multarum Religionum, in quibus sunt legitime institutæ alternativæ, ut electio Superioris aliorumque Officialium semel fiat de una, et semel de alia Natione, et non nisi de personis habentibus tales vel tales qualitates, et valere tales electiones tenet Fagnanus in cit. cap. Cum dilectus 8. de Consuetudine a num. 25. ad num. 39. Panormitan. communiter receptus in cap. Cum terra 14. de Elect. num. 4. Navarr. lib. 1. de Constit. cons. 5. num. 1. in prima editione. Silvester verb. Electio 1. quæst. 23. Donatus loc. cit. quæst. 10. num. 1. et seq. et communis aliorum.

(54. Libertatem electionis tollit, et ipsam irritat subornatio, quæ fit importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, donis, promissis, aliisque mediis, artibus, et modis illicitis sufficientibus ad commovendum, seu moraliter cogendum ad dandum suffragium illi determinato, pro quo, cæteris aliis exclusis, a subornatore talibus illicitis mediis inducitur; si quis enim ad extorquendum suffragium pro se, vel amico comminetur alicui Electori expulsionem a Provincia, aut a tali sibi grato Conventu, aut impedimentum a consecutione justis gradus, vel ad terrorem objiciat falsa crimina, vel etiam vera, sed penitus occulta, vel alias similes vexationes, clarum est ipsum Electorem non libere, sed justo metu motum, tali suffragium suum præbere, adeoque nulliter, cum nulla declaretur Electio ex metu, et terrore facta per cap. Ad aures 3. de iis quæ vi metusve causa fiunt; sicuti nulla declaretur electio facta importunis precibus ex cap. Per inquisitionem 26. de Electione. (55. Hinc in Ordine Minor. de Observantia subornatores pro se, vel pro alio ex Constitutione Sancti Pii V, incipien. Pastoralis Officii, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, et privationem vocis activæ, et passivæ, ibi: « Qui vero in Electionibus ipsis, vel ante eas per sex menses pro se, vel alio subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua absolvi non possit, nisi a Pontifice pro tempore existente, ac voce activa, et passiva perpetuo careat. » (56. Quæ tamen excommunicatio modo potest absolvi a ministro, et Commissario Generalibus, ubi agitur de electione Superiorum inferiorum, uti concessit, et moderavit Pianam Constitutionem quoad talem reservationem Gregor. XIII. Const. incipien. Consuevit; et statuta Ordinis de anno 1663. cap. 7. § 6. num. 43. ita habent: « Subornatores declaramus, qui donis, et promissis,

comminationibus, et obsecrationibus, importunis laudibus, aut vituperationibus falsis, aliquem inducere conantur, ut sibi, vel alteri suffragium in electionibus ferat, quive colligationes, aut inductiones fecerint, non autem illi qui conferendo, vel consulendo talem dignum, vel indignum ad officium dixerint, ut ad illud eligatur vel non eligatur. » Et num. 44. « Qui in Electionibus, vel ante per sex menses pro se, vel pro alio, per se, vel alios subornaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat Ministro, aut Commissario Generali reservatam. Si vero Generales ipsi in eadem damnatione fuerint, a solo Summo Pontifice absolvi poterunt juxta Constitutionem Gregorii XIII, et insuper eosdem Subornatores actibus legitimis ipso facto privamus. »

(57. Et generaliter pro omnibus Regularibus illicitis modis pro se, vel pro aliis Dignitates procurantibus a Clemente VIII, in Constitutione incip. Nullus omnino, edita 20 Martii pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, et Instituti sub § 33, ita fuit statutum: « ut omnis Officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes a directa, vel in indirecta vocum, seu suffragiorum procuracione tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, et Censuras hæcenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensare a nemine possit, nisi a Nobis, vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum, gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes, extendimus. » (58. Quæ Constitutio fuit innovata jussu Urbani VIII, a Sacra Congregatione Concilii die 21 Septembris 1624, in decret. de Apostatis, et ejectionis, incipiente Sacra Congregatio, sub § 1. ibi: « Ac primo ut infecta semina e quibus pravi ejusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps non serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones, et Decreta generalia S. M. Clementis VIII, ad Regularium reformationem ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtè præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinibus Superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. »

(59. Electio evadit Simoniaca, et consequenter nulla, cum pro consequenda aliqua Prælatura, seu Dignitate, v. g. Prioratus, Guardianatus, Diffinitoriatus, Provincialatus, et Generalatus, et hujusmodi datur aliquod temporale munus, vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio; dare enim aliquod temporale pro spirituali est semper simoniacum;



cap. *Quam pio* 2. caus. 1. quæst. 2. cap. *Non satis* 8. et cap. *Mandato* 46. de *Simonia* cap. *Monachi* 2. de *statu Monachorum cum similibus*. (60. Et talis electio de Jure Ecclesiastico est nulla etiam ante Judicis sententiam; cap. *Ea quæ a Sanctis* 6. caus. 1. quæst. 3. ibi: « Quidquid ergo in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, et nullas umquam vires habere censemus; » cap. *Cum Clerici* 6. de *Pactis*, ibi: « appellatione cessante, eos aliter adeptis Ecclesiis spoliatis, » cap. *Matthæus* 23. et cap. *Sicut tuis* 33. de *Simonia*, ubi habetur obtinentem bona fide per Simoniā ab alio commissam, teneri beneficium deponere, ergo Pontifex ibi supponit adeptionem Beneficii invalidam esse; secus renuntiationem debere fieri non præciperet. Et in *Extravagant. Cum detestabile* 2. de *Simonia, inter Communes*, sic expresse habetur: « Per electiones, seu quasvis alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, et quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus, statuentes præterea, quod universi, et singuli etiam præmissis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniā commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti. »

(61. Talis electio est nulla, etiamsi Simonia sit occulta; citat. *Extravagant.* ibi: « Et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, » et c. *Matthæus* 23. et cap. *Nobis* 29. de *Simonia*. (62. Immo est nulla electio, etiamsi electus penitus ignoret simoniā commissam ab aliis in procurandis votis ad sui electionem: nisi in hujus præjudicium fraudulenter fiat ab aliquo inimico, textu expresso in cit. cap. *Nobis* 23. de *Simonia*, ubi ad propositum casum, « Quodcum qualuor essent a Capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiserunt, pecuniam se soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus, » etc., ita respondit Pontifex: « Quod nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præsumpta est penitus reprobanda. » Licet enim Electus non peccaverit, electio tamen est vitiosa propter eligentes, quia peccant Electores in forma, licet Electus non sit in culpa, uti recte advertit Glossa ibid. verb. *Reprobanda*, arg. cap. *Cumana* 50. et cap. *Ecclesia vestra* 57. de *Electione*. (63. Hinc simoniace Electus tenetur in conscien-

tia sub peccato mortali renuntiare Prioratum, Rectoratum, Guardianatum, Diffinitorium, Provincialatum, Generalatum, et hujusmodi; nec absolvi potest priusquam renuntiet; et hoc etiamsi Simonia sit occulta, sive commissā sit ab eodem qui dignitatem obtinuit, sive ab aliis, ipso quoque nesciente, cap. *Quicumque* 1. caus. 1. quæst. 5. ibi: « Quicumque sane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli essent, Ecclesias, vel Ecclesiarum partes per pecuniam adepti sunt, postquam eas omnino dimiserunt, » etc. cap. *Eos* 2. ead. caus. et quæst. ibi: « Ex hac itaque auctoritate colligitur, quod ignorantia tales excusat a reatu criminis, ut supra dictum est, non a fructu emptionis, cum in Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi postquam eas omnino dimiserint, et ex misericordia ibidem eis esse conceditur, in quo patet, quod et si illis ignorantibus simoniæ peccatum esset admissum, fructum tamen paternæ emptionis reportare non possunt; » cap. *Sicut tuis* 33. de *Simonia*, ibi: « Secundum Canonum statuta etiam parvuli qui cupiditate parentum Ecclesias obtinuerunt sunt adepti, eas dimittere tenentur » et concordat cap. *Matthæus* 23. capit. *Nobis* 27. de *Electione*, cit. *Extravagant. Cum detestabile* 2. de *Simonia inter communes, c. Si alicujus* 59. de *Electione*, cum similibus. Donatus loc. cit. tract. 1. q. 20. n. 4. Reiffenstuel lib. 5. *Decretal.* tit. 3. n. 174. et ipso teste, unanimis, ac certa aliorum ob clarā dispositionem Canonum adductorum.

(64. Simoniaca, et nulla est electio, in qua electores ita paciscuntur: si tu eliges me in Provinciale, ego te eligam in Definitorum, in Guardianum, et hujusmodi; si tu dederis mihi, vel meo amico tuum votum, ego dabo tibi meum, vel amico tuo; si tu in hac electione suffragatus fueris pro meis dependentibus, ego in alia suffragium feram pro tuis. Omnes enim istæ, et similes pactiones semper continent labem simoniacam, cum jus spirituale detur cum onere, ut aliquid fiat, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa mediata illam habendi; cap. *Quam pio* 2. caus. 1. quæst. 2. ibi: « Dum tamen omnis absit pactio, et omnis cesset conventio; » cap. *Plerique* 7. de *Pactis*, ibi: « Pactum hujusmodi penitus reprobamus, » c. *Pactiones* 8. eod. tit. ibi: « Pactiones factæ a vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti; » cap. *Quæsitum* 5. de *rerum Permutatione*, ibi: « Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ, » et concordat c. *Præterea* 9. de *Transactionibus* c. *De hoc* 11. etc. *Tua nos* 34. de *Simonia*, cum similibus. Et sic communis Doctorum cum D. Thoma quodlibet 8. art. 11. Cajetan. in suum verb. *Simonia*, § circa tertium, Silvestr. verb. eodem quæst. 13. dist. 4. Navarr. in *Summa* cap. 23. num. 110. Reginald. in *Praxi* lib. 23.

23. num. 244. Donat. loc. cit. tract. 1. quæst. 22. num. 1. et alii passim. Hinc caveant Factionarii, et Præpotentarii, ne per suas illicitas colligationes, et iniquas pactiones, plures solemnizent Nullitates, quam celebrant Electiones, et in laqueos æternæ perditionis, se, suosque sic colligatos misere injiciant. Alia ad rem, vide verb. *Simonia*.

(65. Electio celebrari debet in loco publico, et solito, ut in Ecclesia, Choro, Sacristia, vel Capitulo, seu hujusmodi, dummodo non sit locus clandestinus; leg. *Observare*, Cod. de *Decurionibus* lib. 10. cap. *In causis* 30. de *Elect.* ibi: « Mandantes eis, ut redirent ad Capitulum, et pariter cum aliis Fratribus de electione tractarent. » (66. In casu autem necessitatis celebrari potest extra Ecclesiam, seu Monasterium, et extra locum solitum; cap. *In nomine Domini* 1. dist. 23. circa med. ibi: « Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in Urbe non possit Electio, Cardinales, Episcopi cum Religiosis Clericis, Catholicisque Laicis, licet paucis, jus potestatis obtineant eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint. » (67. Immo in casu necessitatis potest Electio celebrari etiam in loco interdicto, quia per Interdictum solum suspenduntur Divina, et Ecclesiastica Sacramenta; cap. final. de *Sentent. excomm.* in 6. Electio autem non est Sacramentum; nec est de illis Divinis; Tum quia ita colligitur ex cap. *Ad hæc* 1. de *Postulatione prælator.* ubi in fine Pontifex concedit, et admittit postulationem, et electionem posse fieri in loco Interdicto. (68. Extra tamen casum necessitatis male facerent Electores eligendo in loco Interdicto, Silvester verb. *Electio* 1. quæst. 8. num. 9. Miranda tom. 2. *Manual. Prælator.* quæst. 23. art. 9. Donat. loc. cit. tr. 2. quæst. 2. num. 1. (69. Electio vero adhuc esset valida; Perez. leg. 2. verb. *Quæri etiam possent* tit. 6. lib. 1. ordin. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 17. Lavor. *Variar. lucubrat.* tom. 1. tit. 4. cap. 18. num. 6. Barbosa lib. 1. *Jur. Ecclesiast. univers.* cap. 19. numer. 177. (70. Sic etiam valida esset electio, quamvis non esset facta in loco consuetudo, dummodo reliqua omnia fuerint servata. Locus enim non est de substantia electionis, nec usquam reperitur jus proditum, quod propter locum electio debeat annullari, quamvis Glossa in cap. *In nomine Domini* 1. dist. 23. verb. *Fieri in Urbe*, dicat electionem esse nullam si fiat alibi, quam in loco ad hoc determinato per c. *Venerabilem* 34. de *Electione*. hæc enim Decretalis non probat id quod dicit Glossa, sed factum recitat prout contigit, ut notat Archidiaconus in d. cap. *In nomine Domini* num. 16. et 17. dist. 23. ubi num. 18. dicit opinionem Glossæ communiter non teneri. Et sic Abbas in cap. *Cum terra* 14. de *Electione*. Barbosa loc. cit. 117. Lavor. l. c. cap. 18. n. 7. Fagnan. in c. *Quia propter* 41. de *Electione* n. 63. et in c. *Cum ex injuncto* 2. de *Novi operis nuntiatione*. n. 20. et alii cum Rota part. 6. recent. dec. 36. n. 7.

(71. Electio de jure communi est facienda, quando Ecclesia est viduata, et vacat legitimo suo pastore; cap. *Quia propter* 42. de *Electione*. ibi: « Ecclesiæ viduatae provideant de Pastore. » (72. Vacatio autem, et Viduatio potest fieri multipliciter, nempe per mortem, renuntiationem, translationem, et proprii Prælati remotionem, ut habetur in cap. *Inter corporalia* 2. de *Translatione. Episcop.* ibi: « Cum per translationem, depositionem, aut cessionem, » et notat Glossa ibid. verb. *Fortius*. (73. Viduata, seu vacante Ecclesia, debet ab Electoribus, cessante legitimo impedimento, fieri electio infra tres menses, alioquin devolvitur ad proximum Superiorem, textu expresso in cap. *Ne pro defectu* 41. de *Electione*. ibi: « Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiat; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, et Ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælati non vacet, intra quos (justo impedimento cessante) si Electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice. Ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur. » (74. Et si ipse proximus Superior infra idem tempus non elegerit, devolvitur ad alium Superiorem, et sic successive usque ad Papam; Silvester verb. *Electio* 1. quæst. 6. nu. 7. Miranda tom. 2. *Manual. Prælat.* quæst. 23. art. 12. Donat. loc. cit. tract. 3. num. 3. et alii passim. (75. Dieti tres menses non sunt computandi a die vacationis, sed a die habitæ scientiæ talis vacationis; cap. *Licet* 3. de *supplend. negligent. Prælat.* cap. *Quia diversitatem* 5. § final. de *Concess. Præbend.* Tempus enim non currit ignoranti, l. 2. cap. *Qui admitti*, sicuti nec currit legitime impedito, ex ipsomet cit. c. *Ne pro defectu*, ibi: « Justo impedimento cessante. »

(76. Regulares autem non tenentur stare huic tempori a Jure communi præfixo, sed debent servare tempus, et modum a suis specialibus Constitutionibus statutum: Clemens enim IV. ut refert Casarub. in *Compend. privilegior.* verb. *Electio* § 4. concessit expresse Fratribus Minoribus, « quod in electionibus tempus super hoc a jure statutum ipsis non currat, nec in hac parte Juris hujusmodi Regularis coarctentur, » et idem fuit concessum Ordini Prædicatorum ab Alexand. IV. Constitut. incipien. *Cum hi*, et a Sixto IV. in *Mari magno*; et quod electiones Regularium cujuscumque Ordinis celebrandæ sint secundum proprias, et speciales suas legitimas Constitutiones, colligitur ex Clementin. *Exivi*, de verb. Significat., et constat ex Decretis editis a Clemente VIII. de *reformat. Regular.* § 36. et ex variis aliis Bullis specialibus, per quas Juri communi derogatur. (77. Si electio non fuerit celebrata statuta, et præscripta die in Ordine Minorum, si electio sit Provincialis, devolvitur ad Generalem; Clem. IV. Constitut. incipiente *Virtute conspicuos*; si sit Gene-